



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Quantitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

philochis, & ab iis linguam Græcam didicerunt; ita *Thucydides*.

ATHAMANES: de his plura dicemus in Moribus, & Politia.

DOLOPES à quibus Climene ciuitas, Dolopis appellata est, & Regio. Hæc autem concessa est à Peleo Phœnici, cui & filium Achillem nutriendum commisit. Legatur *Homerus* 9. Iliados. Dolopiam urbem fuisse Scyronem tradit *Didymus* ad xi. Iliad. Dolopes autem fuere peritissimi fundibularij, vt tradit *vetus interpres Pindari*.

NVM. 3. *Quantitas.*

LONGITVDO Epiri à iugis *Acrocerauniis*, ad *Acheloi* fluuij ostia est 1700. stadiorum.

LATITVDO à Leucade extremâ ad Pindum montem 625. stadiorum.

NVM. 4. *Qualitas.*

ABVNDABAT olim Epirus bobus, ideóque *εὐβοτος* *pascuis* abundans nominata est, vt ait ex *Arriano* *Eustathius*. Qui etiam credit Geryonis boues non ex Iberiâ, sed Epiro abductos esse. Certè interpretes *Aristophanis* atque *Theocriti*, Epiroticos boues putant Geryonis *Σπύργος*. Hi porro boues erant admodum proceri, latis & amplis naribus, vnde notat *μεγαλοείπης* dictos, & *λαεῖπης*, à particulâ Græcâ *λα* intendente, vel à Larino bubulco. Iis autem nutriendis sufficiebant herbas montes interiecti inter Macedoniam, & Thessaliam, in quorum iugis campi patentes, & aquæ perennes. Eos *Pindari* interpres *επρωνας* vocat à Dodone ad Ionium mare extensos.

Laudantur & canes ex Chaoniâ regione apud Athenæum Mollossi dicti, prognati ex Vulcani cane animato, quem *ἀφουκτον* Poëtæ finxerunt.

Quàm fuerit Epirus populosa, & diues intelliges ex facto *Pauli Æmilij* apud *Liuium*, qui in eâ vno die 70. vrbes cepit quæ ad *Perseum* defecerant, ac mœnibus spoliauit; abducit 150. millia capitum cum tantâ prædâ, vt in singulos equites 400. denarij, in pedites 200. distribuerentur.

NVM. 5. *Mores.*

EPIROTÆ olim falsis carnibus non utebantur, vt tradit *Pausanias*.

Parall. Geogr. Tom. II.

XX